



32
DISPUTATIONUM THEO-
LOGICARUM

DE

SACRIFICIIS
SATISFACTIONIS CHRIS-
TI PRO PECCATIS TOTIUS MUN-
DI PRÆSTITÆ, TYPIS CERTISSIMIS,
ET FIRMISSIMIS,

*Adversus recentiores Arianos seu Photinianos Satisfactio-
nem CHRISTI omnem pernegantes*

QUINTA,

Quod nullo alio igne, nisi cœlitus & divinitus immisso,
ulla unquam sacrificia divinitus instituta comburi debuerint.

QUÆ

In Collegio Disputationum Theologicarum privato in Templo Arcis
d. 5. April. Anno 1715. in incluta VVitteber-
gensium Academia habebitur.

PRÆSIDE

VVOLFGANGO FRANZIO, S. S.
Theologiæ Doctore & Profess. Publico;

RESPONDENTE

M. BALTHASARO FURMANO,
VVITTEBERGENSI.

VVitteberga, Typis Johannis Gormanni.



V I R O

Reverendissimo, Nobilissimo, Magnifico ac Excellentissimo

**Dn. MATTHIÆ HÖE ab
HOENEGG, S. S. Theolog. Doctore cele-
berrimo, Serenissimo Electori Saxoni
à Concionibus primarijs, &
Consilij Ecclesiasticis,**

*Domino, Fautori, ac Promotori suo
perpetuò observando,*

Disputationem hanc Theologicam

*In grati animi ac studiorum testi-
monium, suiq; commendationem
submitte offert*

**M. Balthasar Furmanus
Vitteberg. Respondens.**



Σὺν Θεῷ.

I.

Descendimus rectè ad problema *quar-*
tum ex sacris literis demonstraturi, 1. *an* & 2. *Propositio.*
cur nullo alio igne unquam comburi debuerint & potue-
 rint in Ecclesijs Patriarchalibus & Israeliticis sacrificia,
 nisi isto igne, quem **DEVS** singulariter & miraculose
 immiserat, & de cælo demiserat, quem postea sancti
 homines diligenter conservabant ad eosdem sanctissimos usus, per
 annos & secula plurima.

I. **AN SACRIFICIA VETERA** *Prima pars*
nulla, nisi cælesti igne, comburi debuerint? *hujus dispu-*
sationis.

II.

Hic Syllogismum proponimus illum :
 Si 1. tempore primævorum patrum, in Ecclesijs istorum pa-
 trum, **DEUS** aliquoties ipse è cælo vel aliàs miraculose immisit
 ignem super carnes sacrificiales, altaribus victimarum & holocau-
 storum impositas, 2. Siq; præceptum dedit severum, de igne
 altaris diligenter custodiendo, ne extinguatur. 3. Si item præ-
 ceptum dedit de sacrificijs eodem illo igne consumendis, 4. Si
 item nullum alium ignem, nisi ignem istum, altaris nuncupatum
 adhiberi voluit ad sacra suffimenta. 5. adeoq; si alieno quàm
 igne altaris suffientes atrociter vindicavit, Tum utiq; semper nullo
 alio igne, nisi cælesti seu igne altaris, sacrificiales carnes etiam
 comburi voluit.

Sed prius omne verum.

Ergo & posterius.

III.

Videamus igitur primo omnium, quod **DEUS** ignem ipse 1. *Dens ipse*
 sacrificijs immiserit. Et huc accersendus nobis est omnium sa- *miraculose*
 crificia.

A 2

Gen. 4, 4 5. crificialium rituum Primus, qui describitur Gen. 4, 4. 5. Respexit Iehova ad Abel & ad oblationem eius, Ad Cain vero & ad oblationem eius non respexit.

IV.

Sed statim oritur hinc *questio*: Utrum illa verba debeant exponi de sacrificijs igne cœlitus demisso accensis: An verò saltem de sacrificiorum exhibitorum & alio igne combustorum approbatione, divinitus, vel per immediatam & miraculosam DEI vocem, vel per mediatam concionem divinam ab Adamo enunciatam, facta.

V.

Quod autem tum de approbatione, tum de sacrificiorum cum primis divina inflammatione sint hæc verba interpretanda, ex locis Scripturæ huic ipsi loco similibus (*simulq; novas probationes huic instituto nostro suppeditantibus, ut una fidelia duos parietes dealbemus*) planum & firmum fieri poterit. 1. Par. 21. 26. & seqq. *Ædificavit David altare Iehovæ, obtulitq; holocausta & pacifica, atq; invocavit Jehovam, qui exaudivit eum IN IGNE* è cœlo super altare holocausti. Lutherus, *PER IGNEM*, rectissimè, vel igne cœlitus demisso super parata sacrificia, Osiander.

1. Par. 21, 26.
David ex-
auditus in
igne.

VI.

Ecce Davidem Domino simul inter ipsa holocausta & pacifica novo altari imposita preces ardentissimas juxta altare & juxta carnes sacrificiales pro remissione vehementissimæ pestis offerentem, DEUS exaudit *missa novo igne cœlitus super eadem ipsa holocausta & pacifica altari novo superimposita.*

VII.

At, *optime Lector*, diligentissimè attendas, quibus verbis hanc ipsam historiam *in eodem capite* paulò post reperat & describat Spiritus sanctus. Omnino talibus verbis repetit hanc ignis cœlitus demissi novi historiam, qualibus verbis Spiritus sanctus in Genesi cap. 4. describit sacrificij Caini & Abelis eventum. Id inde tibi apparet, quia quæ 1. Paral. 21. tam clarè describuntur versu 26. ea postea omisso nomine *IGNIS* exponuntur in eodem capite versu 28. *his verbis*: Tempore illo, quum videret David, quod exaudivisset eum Iehovah in area ornan Jebusæi, immolavit ibi. *ITEM* eadem ipsa 2. Sam. 24. v. 25. in hunc modum enunciantur, iterum omnino

1. Par. 21, 28.
Exaudire
Davidem.
idem quod
Exaudire

omisso verbo **IGNIS**: Et edificavit ibi altare Jehovæ, obtulitq; holo-
causta & pacifica, & placatus est, Jehova terræ, & cohibita est pla-
ga ab Israël. Davidem
misso igne.
2. SAM. 24.
23.

IIX.

Ecce lector id quod in posteriore libro Samuelis per sim-
plicem enarratur *exauditionem*, quam **PLACATIO** fuit secuta, id
7. Par. 21. specialius declaratur *de exauditione in igne, vel per ignem &*
inflammationem sacrificiorum enunciatum, unde optimo jure in-
feres **RESPICERE** etiam Gen. 4. esse ignem è cælo super sacrifi-
um Abelis mittere &c.

IX.

Similis Phrasæologiarum permutatio deprehenderur etiam
in 1. Reg. 18. capite, in historia *de Elia & Baalitis certantibus*, utri-
usnam sacrificium **DEUS** ex cælo *per ignem* sit inflammaturus. 1. Reg. 18.
Elias; Pro-
pheta exau-
ditus per
ignem.
Sic enim versu 24. *Invocate (inquit Elias Propheta) nomen Deorum*,
vestrorum, & ego invocabo nomen Jehovæ. Erit verò **DEUS**
qui *exaudierit per ignem*, ipse sit **DEUS**. 26. Tulerunt ergò (Pro-
phetæ Baal) juvenum, quem dederat eis (Elias) & paraverunt
atq; invocaverunt nomen Baal à mane usq; ad meridiem, dicendo,
Exaudi nos Baal, (*scilicet ignem mittendo cælitus super nostrum sacrifi-
cium*) sed non erat vox nec qui responderet (*scilicet ignem è cælis
mittendo*) Item versu 29. Fuit, quum transisset meridies & Prophe-
tassent, usque quò offerrent sacrificium, nulla erat vox, neq; qui
responderet aut auscultaret.

X.

Ecce lector in posterioribus versibus dicitur **DEUS** non re-
spondisse, non auscultasse, non emisisse vocem, nimirum sicut pe-
ritum fuit in prioribus versibus, non exaudisse per ignem, non re-
spondisse per ignem, non auscultasse per ignem, non emisisse vo-
cem per ignem.

XI.

De Elia in eodem capite recurrit eadem permutatio. *Sic
enim orat Elias vers. 37. Exaudi me Jehova, exaudi me, & cognoscat
populus hic, quod tu es Jehova DEUS &c. Petit Propheta Eli-
as exaudiri, nimirum per ignem seu per inflammationem sacrificij
sui. Hunc enim esse sensum tum præcedens versus 24. comproba-
vit, tū mox hic subsequens 39. declarat his verbis; Tunc cecidit ignis*

4 3

Jehova

Jehova, & consumsit holocaustum & ligna & lapides, & pulverem
& aquam, quæ erat in aquæ ductu linxit.

XII.

Salomon
exauditus
per ignem
1. Reg. 8.
2. Par. 6.
& 7.

Simile exemplum extat in historia *Salomonis* de consecratio-
ne templi, ab ipso jam tunc absoluti. Confer enim benevole & pie
lector, hæc duo capita diligentius 1. Reg. 8. & 2. Par. 6. & 7. In
libro Regum continetur proluxa precatio Salomonis, quam recitat
ante altare à versu 22. ad versum 54. Hujus precationis ante altare
habitæ, membra cuncta etiam reperientur 2. Par. 6. à versu 12.
usq; ad finem ejusdem cap. Jam verò in libro Regum post finitam
precationem subjiciuntur hæc verba: Fuit, quum finem fecisset Salo-
mon orandi, surrexit à conspectu altaris Jehovæ, & stans, benedixit
universæ congregationi voce magna dicendo; Benedictus J-cho-
va, qui dedit requiem populo suo Israël, sit Jehova DEUS noster
nobiscum. At in libro Paralipomenon post finitam precationem hæc ad-
jiciuntur verba: Cum finem fecisset Salomon orandi, IGNIS de-
scendit è cælo, & absumsit holocaustum atq; victimas.

XIII.

Ergò quod in posteriori loco Scriptura vocat *ignis descensum*,
hoc in priori tantummodo exprimit per sensum *precum exaudita-
rum*, cum pro exauditione vocat DEUM benedictum, qui dedit
requiem, quam ex demisso igne super hunc locum colligebat:
Item quod vocat quoad personæ approbationem, exauditionem,
hoc vocat etiam quoad sacrificij factum & consecutam inflam-
mationem, similiter exauditionem.

XIV.

Theodotian
Græcus.

In hac consideratione & propter causas ex his exemplis satis
effulgentes rectè fecit *Theodotian*, qui referente *Hieronymo* in tradi-
tionibus Hebraicis super *Genesis*, verba *Mosis* in hanc exposuit, (la-
tinè) *rationem*: Et inflammavit Dominus super Abel & super sa-
crificia ejus, super Cain verò & sacrificium ejus non inflamma-
vit.

XV.

Hactenus de exemplo *Abelis*, *Davidis*, *Salomonis*, *Eliæ*:
addimus exemplum *Mosis* & *Aaronis*. Simili igitur ratione
Levit. 9, 24. Egressus est ignis (tempore *Mosis* & *Aaronis*, post ab-
solutum

solutum tabernaculi Mosaici ædificium in deserto, in exitu ex Ægypto) à facie Jehovæ, & consumpsit super altare holocaustum & adipēs. Alia exempla prætermittimus.

XVI.

Ergò super sacrificia olim plurima de cælo divinitus fuit missus IGNIS, tum in primorum istorum patrum Gen. 4. sacrificijs, tum Levitici nono in dedicatione tabernaculi Mosaici, tum item in dedicatione templi Salomonici, tum alibi aliquoties. Et hoc unum est, diligenti observatione dignum.

XVII.

Deindè diligentissima consideratione æstimandum est, ut I I. Deus de huic divinæ voluntati *Ναὐπὴδω* satisfieret, quod adjecerit DEUS de custodiendo igne divinitus demisso singularem præceptum de ptionem, quæ extat Levit. 6. 9. 10. 11. 12. 13. hisce verbis: Præcipe igni altaris Aaron & filijs ejus, dicendo (Hæc est lex holocausti, Est holocaustum jugiter servatum propter adustionem, super altare, totâ nocte, usque manè. vando. Et ignis altaris succenderetur in eo. Lutherus: Es sol allein das III. Et de Feuer des Altars drauff brennen.) Et ignis qui erit super altare, succenderetur in eo, NON EXTINGVETVR, & succendet in eo sacer eodem commodos ligna quotidie manè, & ordinabit super illud victimam holocausti, adolebitq; super illud adipēs pacificorum, IGNIS PERPETVO ARDEBIT IN ALTARI, NON EXTINGVETVR. Ignis altaris

Hactenus verba præcepti divini in loco isto.

semper ardet, & su-

XIX.

Ex hac regula divinitus promulgata, quilibet quam optimè per illum ratiocinabitur, voluntatem DEI hanc fuisse, ut sancti patres, manè sacer ignem cœlitus super sacrificia demissam competentibus medijs ados ordinarerent, & in sacros usus diligenter conservarent. Ignis (inquit He. victimam, brazus contextus) & altaris accensus erit super holocausto versu 12. quæ ardeat Item ignis perpetuo ardebit in altari, non extinguetur, versu 13. in tantum Vocat ignem altaris, quia in altari semper servabatur ille, quem tempus nolum semel aliquando DEUS miraculosè demiserat. De igne æturnum qualis in loco nostro est, tali præceptione opus non fuisset, siquidem singulis momentis excitabatur ille quam facilimè sumatur.

19. Sicut

XIX.

Sicut autem, (quemadmodum aliquoties superius attigimus) alia leges sacrificiales ceperunt statim à lapsu & in sanctissima observatione fuerunt inter patres, à patribusq; ad patres pervenerunt per traditionem & doctrinam vivam, sed scripto demum comprehensæ sunt tempore Mosis per Moysen: ita quoq; hæc lex de igne sacrificiali tum simul cepit, semper à longævus patribus ore tenus alijs fuit commendata, & non nisi sanctissime custodita.

*Ante dilu-
vium.*

XX.

Sic igitur, Ignis cœlestis custoditus fuit sine dubio ab Adami tempore usq; ad ipsum diluvium, & in diluvio intra arcam, etsi interea quod Abelis exemplum testatur, simile exemplo Eliæ, auctioris confirmationis gratia quandoq; DEUS novum aliquem supermittere voluit ignem cœlitus, & ut sacris istis suis subindè augustissimam conciliaret divinæ ceremoniæ existimationem.

XXI.

*Post dilu-
vium.*

Si etiam (de quo tamen non libet disputare) post diluvium DEUS non dedit Nohæ novum ignem sacrificialem, sed simpliciter odoratus est odorem quietis holocaustorum ex altari Nohæ Gen. 8. 20. 21. tum multò magis Noah etiam in arca custodivit & asser-
vavit nutritiq; lignis seu carbonibus reliquias ignium primæ vorum, quos patribus ex cælo dederat Iehova: Nohæcumq; ignem custodivit sacrosanctum ejusdem Noachi posteritas.

XXII.

Valde præterea consentaneum est & verisimile, quia Abraham ædificat altare Gen. 12. 8. post singularem suam evocationem ex terra patria, post promissionem terræ Chanaan sibi datam, post cooptionem lineæ ipsius seu genealogiæ in lineam & genealogiam istâ ex qua nasci debebat Messias, valde inquam consentaneum est, Abrahamum divinitus esse tunc admonitum, ut post Semum deinceps ipse cum suis posteris sacrificiorum curam susciperet, adeoq; tunc temporis post ædificatum altare novum ignem tanquam hujus rei novum signum & novam confirmationem accepisse, quem ignem Abraham, Isaac & Jacob in sacrificiis intra terram Chanaan institutis usurpaverint, & semper diligenterq; servaverint.

Abraha-

XXIII.

Abrahamus filium Isaacum pro holocausto immolare iussus in monte, & iam proficiscens & appropinquans ad montem. *Tempore Abrahami.*
 Gen. 22, 6. à famulis ligna & ita cætera quoque abstulit, lignaque Isaac commisit, sed tulit ipse in manu sua ignem & gladium, cumque filius Isaac ex patre Abrahamo quæreret: Ecce ignis & ligna, sed ubi holocaustum, respondit pater, Dominus providebit sibi pecus in holocaustum. Utrique sicut ligna & gladium domo attulit, ita quoque ignem domo attulit, & si alieno igne sacrificare licitum sibi esse scivisset Abraham, una cum lignis ignem domo non attulisset, quem facile post triduanum iter ex silicibus & chalybe suscitare valuisset. Sicut autem commoda ligna (in itinere tridui) ita etiam ignem secum idoneum accipere voluit.

XXIV.

Sic etiam quid opus fuisset disceptatione inter Cainum & Abelum, inter Eliam & Baalitas, si sacrificia potuissent quovis promiscuo igne comburi, nimirum Cainus & Baalitzæ facilius ignem *Ἀγνοῖκόν* ex foco abripuissent & accendissent longè maximum.

XXV.

Exod. 17, 15. aut novum ignem dedit DEUS in exitu ex *In exitu ex Ægypto.*
 Ægypto, aut Jacobi patriarchæ seu Abrahami ignem toto exilio Ægyptiaco custodivisse dicendi sunt Israelitæ. Sic etiam Levit. 9, 24. prorsus novum à Jehova sacrificialem ignem acceperunt, quæ, ut rectè scribit Erasmus Marbachius super locum istum, servarunt usque ad templum Salomonis, ubi renovatus fuit & demissus alius à cælo 2. Par. 7, 1. 2. 3. inque Ecclesia Hierosolymitana, custoditus continuò & diligenter.

XXVI.

Post reditum ex captivitate Babylonica Esdræ 3, 3. Firmarunt De igne sacrificiali post
 & Darius cap. 6. mandat suis præfectis, ut de substantia regis dent captivitatē
 Judæis illud, quo indiguerint, sive boves sive arietes, sive agni in holo- *Babylonicā*
 causta Deo cæli, frumentum, sal, vinum, & oleum, juxta verbum *solutam.*
 sacerdotum, ut habeant, unde offerant suffimenta DEO cæli, &
 precentur pro vita regis & pro filiis ejus. *Ibidem* 7, 17. obtulerunt in
 B dedi-

dedicatione domus DEI vitulos centum, arietes ducentos, agnos quadringentos, & hircos caprarum duodecim, Præterea cap. 8, 35. Obluerunt holocausta, vitulos duodecim, arietes nonaginta sex, agnos septuaginta septem, hircos pro peccato duodecim, omnia in holocaustum Jehovæ.

XXVII.

Quamquam verò in Esdra vel Nehemia nusquam commemoratur, quali igne hæc holocausta combusserint, tamen hæc duo nemo poterit negare. i. quod pecora combusserint, alias enim holocausta appellarentur illa sacrificia perperam. 2. quod aut custodierint ignis prioris cælestis reliquias, aut quod DEUS ipsis novum ignem dederit, post solutam captivitatem Babylonicam. Posterius hoc est vero magis consentaneum, ut rectè scribit D. Polycarpus Lyserus super Gen. 4.

XXIIX.

Cum enim tunc vix impetrassent reditum ex Babylone, tanquam relaxationem pœnæ gravissimæ per annos septuaginta propter idolatriam toleratæ, utique in tantum insanire non voluerunt, ut post pœnam hoc momento finitam, statim delinquere inciperent in gravissimo hoc ritu, & offerre sacrificia tali igne alieno, ob quem ignem alienum noverant olim Levit. 10. fuisse divinitus interfectos in ipso sanctuario filios summi Sacerdotis, in ipsa summa prima solennitate & recens absoluto tabernaculo Mosaico.

XXIX.

Annon etiam hujus rei ipsius promissio novi inquam ignis cælestis restitutio fuerit simul inclusa isti gloriæ Judæorū, quam restituendā ipsis post captivitatem in Prophetis prioribus DEUS passim promittit, judicandum cordatioribus & eruditioribus committimus: ita tamen ne quis gloriam templi secundi majorem quàm primi futurā & ab Haggæo posteriore Propheta prædictam cum hoc negotio confundat, prorsus enim gloria in Haggæo de nulla alia re, nisi Messia & nequaquam de alio quopiam negotio debet exponi.

30. Mala-

XXX.

Malachias quoque *Propheta*, qui vixit post captivitatem Babyloniam, expressè facit mentionem *IGNIS* sacrificialis cap. 1, 10. his verbis: Quis etiam in vobis est, qui claudat ostia, & non incendatis *IGNEM* super *ALTARE MEVM* frustra? non est mihi voluntas in vobis, dicit *Jehova exercituum* & munus non volam de manu vestra.

XXXI.

Etsi verò hæc hucusque dicta de igne post captivitatem Babyloniam aliter sese habere non possunt propter rationes indicatas: Etsi quoque libri *Maccabeorum* inter *Canonicos* nunquam fuerunt recepti: etsi in ipsis libris *Maccabeorum* non desunt manifestæ exorbitationes, tamen cum iis, quæ hæctenus dicta sunt, de igne sacrificiali post captivitatem Babyloniam non male congruunt, quæ extant 2. *Macc.* 1.

XXXII.

Verba sunt hæc: 18. Celebraturi purificationem templi significandum id vobis iudicavimus, ut vos quoque agatis quasi solemnem diem *Scenopeiæ*, & *IGNIS* quo *Nehemias* templo altaribus ædificato sacrificium obtulit. Nam cum patres nostri ducerentur in *Persiam*, qui tum pii sacerdotes erant, acceptam *IGNIS* ab altari partem in caverna putei locum siccum trahente, clam absconderunt tutoque ita reposuerunt, ut locus ille omnibus ignotus esset. Elapsis autem multis annis, ubi *DEO* visum est, dimissus à rege *Persiæ* *Nehemias*, tempore sacerdotum illorum, qui *IGNEM* abdiderant, misit ad eum requirendum, qui ut nobis retulerunt, quum non *IGNEM*, sed aquam crassam invenissent, iussit ut haurirent eam, & afferrent, deinde iis quæ ad sacrificia pertinebant, aræ impositis, iussit *Nehemias* sacerdotes aquæ tam ligna, quæ erant iisdem imposita perfundere. Quòd ubi factum est, atque *INTERPOSITO* aliquo temporis spatio *SOL* antea nubibus *OBDUCTVS* effulsit, *IGNIS* ingens exarsit, adeò ut omnes caperet ejus admiratio. Interea dum sacrificium consumebatur, tam sacerdotes quàm omnes, alii precationem faciebant.

Fabula sine dubio est quod igneus in caverna putei absconderint.

VERBA PRÆEUNTE Jonatha, cæterisque exemplo Nehemiæ
SVBSEQUENTIBVS. Hactenus verba libri dicti. Ex quibus verif-
sima sunt, quæ dicunt ex cælo incensa fuisse sacrificia, cætera πάρε-
σεως narrata, de aqua, relinquimus aliis discutienda. Contraria
enim sunt, aquam fuisse fusam, & postea sole orto secutum ignem,
si aqua fuit ignis pristinus & interim ignis pristinus factus fuit a-
qua, nisi per transubstantiationem Pontificiam hoc accidisse velis,
quomodo hoc efficies.

Objectio
cum Resp.

XXXIII.

Cæterum scrupulus aliquis afferri potest ex 2. Macc. 1. v. 12.
ubi tempore Judæ Maccabæi cum expurgato templo aliud altare
confecissent, *accepto ex lapidibus accensis igne* sacrificium obtulisse di-
cuntur. Græcus textus habet se in hunc modum: Πυρώσαστες λί-
θους καὶ πῦρ ἐκ τῶν λαβόντες, quem hac ratione convertes, *illi*
ignificantes ipsos lapides & ignem ex ipsis concipientes. Videntur igitur
secundum hos textus ex silicibus ignem excussum sacrificiis com-
burendis adhibuisse.

XXXIV.

Sed ut ad hanc objectionem solidissime respondeatur, vi-
deamus primò omnium contextus ipsos in libro Maccabæorum,
in plurali sic dicto, cum tantum unus Iudas dictus fuerit in singulari Maccabæus.

XXXV.

Templum Hierosolymitanum ab Antiochio Epiphane cæ-
pit vexari anno regni Epiphanis octavo, 1. Macc. 1, 11. 21. 30. 41. 47.
missis legatis, qui prohiberent holocausta & c. Atque his mandatis
aliqui parebant, aliqui verò non parebant, & iccirco manebant
semper aliqui pii in Hierusalem, sicut 1. Macc. 9, 35. Antiochus
iterum mittit (Ipse interim in Persiam profectus) qui potentiam
Israelis ac reliquias Hierosolymæ everterent.

XXXVI.

Hæ reliquiæ cum aliis extra Hierusalem piis sæpe sese ani-
marunt, ut textus convincit, ad pugnandum fortiter pro populo
suo, & pro sacris adversus hostes, etiam tum adhuc *vivente Antiocho,*
unde vivente Antiocho post aliquot victorias, 1. Macc. 4, 36. a-
scendunt ad expianda & renovanda sacra, totis castris: Cumque
ibi reperirent altare profanatum, 1. Macc. 4, 36. & seqq. pro novo

cx.

extruendo lapides & λίθς deponunt **DONEC EXORERETVR**
PROPHETA, qui de his responderet. *Hec enim sunt ibi verba libri*
Maccabeici.

XXXVII.

Ecce autem lector quod mox à divino aliquo homine re-
sponsum acceperint, & quod vero cælesti igne ubi ubi illum in-
terea annis tribus servatum custodierunt, mox sacrificare ce-
perint, tu ex illicò & è vestigio ibidem sequentibus verbis firmiter
iple colliges.

XXXIIX.

Verba igitur hoc pacto juxta numerum, & ordinem
versiculorum se mutuo excipiunt: (46.) Lapidēs λίθς in monte
templi opportuno in loco deposuerunt, donec exorirerur Pro-
pheta, qui de his respondere posset. (47.) **SVMTIS** autem **LA-**
PIDIBVS, λίθοις, juxta legem integris, novam aram extruxerunt
secundum priorem (48.) ædificatoque deinde sacrario interiores
templi partes, atriaque consecraverunt, (49.) Præterea sacra vasa
templi innovarunt, & candelabro, arisque holocaustorū ac suffi-
mentorū, mensaque in templum illatis, (50.) **ADOLEVERVNT**
SUFFIMENTA super aram, lucernis etiam in candelabro **AC-**
CENSIS, templum illuminaverunt (51.) Panes imposuerunt
mensæ, & vela expanderunt. Absolutis autem quæ instituerant
operibus (52.) Quum manè surrexissent 25. die noni mensis an-
no 148. (53.) Sacrificium obtulerunt super aram **HOLOCAV-**
STORVM, quam novam extruxerant. (54.) idque oportune eo-
dem die quo gentes illam profanarant, ipsa ara est dedicata, adhi-
bitis canticis, citharis ac cymbalis (55.) Cum populus universus
in faciem prostratus adoraret, (56.) Hac aræ dedicatione consum-
tis octo diebus, quibus **HOLOCAVSTA** immolarunt lætabun-
di & hostias salutis atque laudis sacrificarunt, (57.) Faciem tem-
pli exornarunt coronis (58.) Tum laticia in populo, perquam
magna exorta est, & opprobrium gentium sublatum.

XXXIX.

Hætenus verba contextuum, quæ per se rem omnem planissi-
mam faciunt. Nusquam audiuntur in his libris querelæ vel nar-
raciones de igne cælesti sacrificiali sub Antiocho amisso vel extincto, utpo-

Tempore Iu-
de Macc-
baei vivente
Antiocho
tamen
COMBU-
RVNT sa-
crificia.

te cujus persecutiones durarunt non multum ultra triennium. Misit enim Antiochus persecutores Hierosolymam anno regni Græcorum 145. (1. Macc. 1, 11. 21. 30.) Judas templum renovavit ac sacrificavit anno 148. 1. Macc. 4. 52. 53. & Antiochus moritur sequenti anno 149. 1. Macc. 6, 16.

XLI.

Etiam antea fuit Hierosolyma variè vexata sub Nebucadnezar. 2. Reg. 24. & tamen ignis cælestis non confusus cum igne hostili, nisi 2. Reg. 25, 9. quando *omnis domus DEI* accensa fuit. Quantò magis idem ignis hoc Judæ Maccabæi tempore à piis ut & antea factum meminerant, servatus dicetur.

XLI.

Et hac ratione pulcerrimè conveniunt illa, quæ jam in contextu contulimus, quod dictamen Prophetæ expectarunt, & sine dubio Prophetæ alicujus monitionem acceperunt, & novum altare ex *LAPIDIBVS λίθους* ad illius mentem fecerunt, & super illo iterum sacrificare cæperunt, utique non nisi adhibito igne quem interim sacrosanctum & plus quam omnia monilia & thesauros, immò plus quam vitam propriam custodierunt. Et quis crederet, hætenus propter peccata vexatos à tyranno, jam clementia DEI recuperatâ victoria voluisse contra DEI mandata de alieno igne cavendo tam enormiter peccare, quis verò non multo plus statuet (in conspectu hostium etiam tunc sese circumgyrantium novorum) ipsos tale peccatum alieni ignis imprimis scrupulosissimè declinasse. *Et hoc unum est, quod fuit notandum, quoad contextus.*

XLI.

1. Macc. 4.

2. Macc. 10.

una & eadē
narratur
historia.

Deinde observandum venit, unam & eandem historiam tractari, 1. Macc. 4. & 2. Macc. 10. Sicut enim 1. Macc. 4. describitur instauratio sacrificiorum facta post vexationem Antiochi Epiphani, Ita 2. Macc. 10, non describitur alia renovatio sacrificiorum nisi quæ etiam facta est sub eodem Antiocho Epiphane, idque imprimis ex præcedente capite, 2. Macc. 9, ad oculum apparet. Et hac de causa eruditè monet D. Lutherus, potius vocandum

dum esse *ALIVM* quàm *SECUNDVM* librũ Maccabæicum, quod describat secundus res gestas ejus temporis, cujus etiam temporis res habet primus. Lege lector ipsum Lutherum in præfatione super libros Maccabæorum.

XLIII.

Ponamus autem contextum 2. Macc. 9. & 10. etiam sub acriorem considerationem. *Verba secundum ordinem & numerum versiculorum habent in hunc modum:* 2. Macc. 9. 1. Eodem tempore Antiochus è Persicis se regionibus ignominiosè receperat, 28. Homicida ille & in *D E U M* contumeliosus easdem perpetratis acerbitates, quibus alios affecerat, miserrimo mortis genere vitam finivit, 1. Macc. 10. 1. Maccabæus autem & suo ductu Domini templum urbemque receperunt. 2. Atque aras in foro alienigenas demoliti sunt. 3. Cumque expurgato templo aliud altare confecissent, *ignificaverunt lapides λίθοι* (utique quos adhibuerunt ad extruendum altare) & inde accipientes ignem, sacrificium obtulerunt duobus post annis & sex mensibus (*postquam scilicet civitas est capta*) suffimentumque & lucernas adornarunt. 5. Et contigit ut quo die templum profanatum fuit à gentibus, eodem die fieret ejusdem templi expiatio, qui erat 25. ejus mensis qui Casleu dicitur. 6. Tum verò cum laticia octo dies celebrarunt. 8. Ac constituerunt, ut illi dies octo toti Judæorum genti celebres singulis annis agerentur. 9. Ac Antiochi quidem qui appellatus est illustris, exitus vitæ ita se habuit. *Hactenus verba libri Maccabæici secundi.*

XLIV.

In his quid sibi velint ista verba, (*Ignificantes lapides & ignem accipientes ex illis sacrificium obtulerunt*) cogitandum est diligentius. Et quidem ante omnia collatio 1. Macc. 4. & 2. Macc. 10. declarat factum esse novum altare ex *LAPIDIBVS*, quia in utroque capite non silices sed lapides, *λίθοι* nominantur.

XLV.

Deinde collatio quædam est instituenda inter ritum observatum

vatum in renovatione sacrificiorum post solutam captivitatem
Babyloniam, & inter ritum observatum in renovatione sacrifici-
orum post vexationem Antiochi Epiphanis. *Illā extat 2. Macc. 1.
31. Hec describitur 2. Macc. 10, 3. Utraque enim aliquid simile quo
ad LAPIDES habet.*

XLVI.

*Illā post captivitatem Babylonicam 2. Macc. 1, 31. in hunc de-
scribitur modum: Cum consumpro sacrificio reliqua superesset a-
qua (de qua dixit versu 19. 20. 21. 22.) Nehemias LAPIDES ma-
jores ea perfundi iussit, 12. Hoc ubi factum esset, exarsit flamma,
quæ lumine ab altari refulgente consumpta est.*

XLVII.

*Hec posterior sub Antiocho adhuc vivente (alterā vice post
primam 1. Macc. 4.) in hunc describitur modum: Et templum expur-
gantes aliud altare fecerunt, & ignificantes Lapidēs & ignem ex ijs
accipientes sacrificium obrulerunt.*

XLVIII.

*Ex hac collatione utriusque loci apparet, fuisse ipsis ritum
etiam accendendi vel calefaciendi LAPIDES altarium, quocun-
que illud sine fecerint, id quod illic affusa aqua in ignem ex ipso-
rum opinione conversā perfecerunt, hic igne ipso: & quod hic ex
lapidibus igne adhibito sacrificium fecerint.*

XLIX.

*Ersi igitur simpliciter & rectè responderi posset: 1. libros
hos Maccabæorum non esse Canonicos, 2. libros hos sibi nec-
ipsis contradicere etiam in eadem historia de Antiocho, quia 1.
Macc. 6. 8. & seqq. dicitur ex marore mortuus, sed 2. Macc. 9, 9. ex
vermibus, quia item narratio de igne in caverna putei abscondi-
to est fabula, fabula item est quasi ignis antea amissus ex aqua
redierit, 3. librum priorem præferendum posteriori, ut rectè an-
notat Ossander in præfatione, TAMEN ut lectori benevolo mi-
nus relinquere scrupuli quem ex libris Maccabæis (tanquam
ex scripto merè humano tamen) aliqui nobis objiciunt, paulò fu-
sius eandem rem repetere & omnibus Græcæ linguæ peritis de
verbi πύρωσ hac facta applicatione iudicium committere pla-
cuit.*

Ex

Ex omnibus autem æquo arbitrio æstimatis hoc deprehendat benevolus lector, plura esse quæ ipsum inclinatura sint in partem illam de igne vero sacrificiali, tunc temporis non amisso vel destructo, nec cum alijs ignibus ut in obsidionibus factum fuit, confuso, quam videantur esse, quæ contrarium suadere possint. In his libris Maccabæorum alia memorantur sacrificia, 1. Macc. 5, 54. 1. Macc. 7. 33. 1. Macc. 12, 11. de quibus infra dicetur.

L I.

Et sic nihilominus verum manet, ignem verè sacrificialem usq; ad Christum exaltatum in ecclesia Hierosolymitana mansisse. Et si ignis qui fuit ante captivitatem Babylonicam in secundo templo haberi non potuit, tamen alium novum habuerunt, quam sententiam Theologi passim, etiam nostri veram retinent, & hodie quoq; ut infra problemate decimo diceretur.

L II.

Utriq; tempore Christi JESU in his terris visibiliter concionantis comburebantur sacrificia alia & holocausta, de quibus videre licet, Matth. 5. 23. 24. Si attuleris munus tuum ad altare, & illic tibi Christi, memineris, quod frater tuus habet aliquid contra te, omitte illic munus tuum coram altari, & abi, primùm reconcilieris fratri tuo, & tum veniens offer munus tuum. &c. Matth. 8, 4. dicit JESUS leproso mundato, Abi, indica te ipsum Sacerdoti, & offer donum illud, quod injunxit Moser. Hoc autem munus Levit. 14. pro divite complectitur agnum unum in sacrificium pro delicto. vers. 12. item holocaustum v. 20. ex alio agno, sed pro paupere duos turtures, aut columbas, tum pro delicto, tum pro holocausto, vers. 22.

L III.

Quod enim Bibliorum quorundam editiones ad marginem Marginales citant ex vers. 4. de duobus passeribus, ligno cedrino, cocco vermiculi & hyssopo, illud non pertinet ad munus pro leproso dato offerendum, sed ad mundationem Politicam & Ecclesiasticam, qua mundato dabatur venia iterum liberè cum alijs hominibus in templo & foro conversandi, per certas ceremonias, in quarum usum mundatus ipse afferebat res jam indicatas. De qua re suo tempore super Levit.

14. Huc augetur.

LIV.

Huc pertinet illud Scribæ Marci 12, 33. Diligere DEUM & proximum sicut seipsum, plus est, quam omnia holocaustata & sacrificia. Id quod frustra is dixisset, nisi tunc temporis adhuc viguissent holocaustata & sacrificia.

LV.

Huc illud Luc. 2, 24. de Maria matre Domini, post impletos dies Hierosolymam profecta, ut daret oblationem secundum id, quod dictum est in lege Domini PAR TURVRVM, aut duos pullos COLVMBARVM. Deprehender autem Lector Levit. 12, 8. unum ex his fuisse oblatum in holocausto & alterum pro peccato.

LVI.

Frustra autem Christus amandasset sanatum leprosum ad Sacendotes, ut offerret munus à Mose præceptum, frustra Christus præcepisset de reconciliatione ante oblationem sacrificiorum, frustra narraretur de Maria hoc ipsum diligenter executam, nisi Christi tempore sacrificandi rationes adhuc viguissent, & utique Christus neminem amandaturus fuisset ad illa sacrificia, nisi eadem legitimo igne constare scivisset, quia alienum ignem Deo abominabilem esse ex Levitici decimo capite plus quam sanctissime & optime noverat.

LVII.

IV. De igne
non nisi ex
altari ad
suffitus sa-
eros adhi-
bendo.

Porro sub hanc nostri instituti considerationem accurate vocari quoque debet illud, quod extrat Num. 16, 46. de igne ad expiationes per suffimenta fieri solitas adhibito. Ibi enim prolixè recensetur historia de seditioso tumultu Core, Dathan, Abiram, & On (qui quartus Coryphæus celeriter poenituit & gratiam, poenæque temporalis remissionem obtinuit) & de furore Domini contra seditiosos tres perseveranter peccantes, jam jam effervescente.

LVIII.

Inter alia ibidem hæc sunt verba: Dixit Moses ad Aaron, Cape thuribulum, & pone in eo ignem de altari ac superpone incensum, ac perge citò ad populum ut expies eos. Jam enim egressa est ira à Domino, & plaga sævit. Ex hoc loco satis cernitur, quod etiam in suffitibus expiatorijs non licitum fuerit uti igne alio quam IGNE ALTARIS.

59. Sed

LIX.

Sed & cum hoc ipso loco eadem sedulitate expendi debet illico alter ille locus in Levit. cap. 16. 12. ubi sermo est de die decimo septimi mensis Israelitici, quo die summus Sacerdos ingrediebatur in sanctum sanctorum. Verba sunt haec: Assumet (dicit Moses ex jussu divino, Aaron summus Sacerdos) plenum thuribulum prunis ignitis de altari à conspectu Jehovae, & plenas volas suas de incenso aromatico comminuto, & inferet intra velum. Ponerq; incensum super ignem coram Jehova, operietq; nubes incensi propitiatorium, quod est supra testimonium & non morietur.

LX.

Ecce lector, jussu divino summus Sacerdos quotannis ingressurus in sanctum sanctorum & suffitu expiaturus sanctuarium, non uti debuit alio igne ad suffitum intra velum, quam igne quo comburi solebant ipsae pecorum carnes sacrificiales extra. Non nisi igne, inquam, desumpto ex illo igne, quo igne consumebantur sacrificialium pecorum carnes.

LXI.

Et ut severior voluntatis divinae constaret in hoc negotio in-^{V. De pena} tentio, quod non nisi sacrum divinitusq; demissum ignem ex coe-^{suffentium} lo in sacris suffitibus & oblationibus admittere veller, omnino ^{alieno igne} tragicam subjecit admonitionem Levit. 10. In hoc enim dicto Levit. capite describitur solennissima prima sacrificatio, quam post completum tabernaculum Mosaicum juxta leges sacrificiorum nuperè acceptas instituerunt. Exodi enim ultimo narratur ^{An Exodi} per ^{34. sacrificia} ^{obtulerint.} quod aemum contigit Levit. 10.

LXII.

In illo autem primo actu filij Aaronis delinquentes adversus hanc legem de igne oblationibus adhibendo non nisi sacro & demisso divinitus, adeoq; Nadab & Abihu accipiunt acerras suas & in ijs accipiunt ignem alienum, quod non praeceperat Jehova, & offerunt coram Jehova ignem alienum.

LXIII.

Ecce verò illico ex summa Dei indignatione adversus offerentes **IGNEM ALIENVM**, egressus est ignis à facie Jehovae & con-



sumsit eos, mortuūq; sunt coram Jehova in conspectu sanctitatis
Jehovæ filij duo summi Sacerdotis, ex quo loco exportantur per
cognatos suos extra castra, & mandatur divinitus, ut Aaron pater
super his ne contristetur, sed solennitatis sacrificialis dies debita
cum reverentia continuet ac absolvat, simulq; præcipitur, ne sa-
cra facturi posthac potibus inebriativis impleantur.

LXIV.

Tam sunt hæc clara, tam gravia, tam divina, ut nemini vel
minimus relinqui possit scrupulus, nimirum seriam fuisse Dei vo-
luntatem, ut non nisi igne altaris fierent suffimenta, quem ignem
super altaria demiserat DEUS cœlitus vel miraculosè, quemque
perpetuo custodiri mandaverat.

LXV.

Ex historicis Ad humana suffragia in hoc instituto nostro confugere non lu-
extra Scri- bet. Uricum tamen huc maximè profuturum adpicere placent.
pturam sa- Apud Petrum Galatinum de arcanis catholicæ veritatis lib. 4. cap. 9.
oram extan- quinq; res in secundo templo defuisse dicuntur, ignis comburens
tibus IGNIS holocausta, arca & gloria Domini inter Cherubim, Urim & Thu-
altaris et- mim, oleum unctionis & Spiritus sanctus.

LXVI.

iam posset Verba apud Galatinum sunt hæc: Nam in libro Sanhedrin Hie-
probari. rosolymitano in capite Ellu Hen haggolin, id est, isti sunt captivi,
sic dicitur: Ait Rabbi Semuel, quinq; res defuerunt in ultimo tem-
plo, quæ in primo fuerunt. Et unde probatur? Ex eo, quod dictum
est, Haggai primo capite, Ascendite in montem, & afferite lignum
& ædificate domum, & contentabor in ea & honorabor, Dixit
DEUS, Veecabda id est, & honorabor vel honorabo scilicet eam, dimi-
nute scriptum est, sine litera η He, quæ quinq; designat, ad signifi-
candum, quinq; res, in quibus sanctuarium ultimum fuit à primo
diminutum, videlicet ignem, arcam; Urim ve thumim, oleum
unctionis & Spiritum sanctum. Hactenus verba formalia ex Thalmud.

LXVII.

Legantur autem ibi plura in hanc sententiam similia ex
Thalmud allegata. Exempli gratia sic pergit Galatinus. Glossa Rabbi
Salomonis super verbo Veecabda, id est, & honorabo eam, sic
dicit. Deest hic litera η He, quæ quinq; significat, ob quinq; res
quæ

quæ in secundo templo defuerunt, & in primo fuerunt, videlicet
Urim ve thumim, & arca, & ignis, & divinitas & spiritus.

LXIX.

Item in libro yoma, id est, dierum sic legitur, Dixit Rabbi Aha,
Quid est, quod in verbo Veeccabda deest litera η He, Quia per
ipsam designantur quinque res, quæ fuerunt in primo templo & defu-
erunt in ultimo. Hæc sunt 1. arca cum propitiatorio, Cherub,
2. ignis, 3. divinitas sive Dei gloria, 4. Spiritus sanctus & 5. Urim
ve thumim.

Argumentum
à littera He-
braica η ps-
titum, an
valeat, in-
fra alio pro-
blemate dis-
cutietur.

LXIX.

In midras quoque Sir Hasirim, id est, in expositione cantici canticorum
super illud octavo capite dictum, Soror nobis parva & ubera non sunt
ei, ita dicitur, Soror nobis. Isti fuerunt ascendentes de captivitate.
Parva, quia fuerunt inopes in exercitiis. Et ubera non sunt ei.
Hæc sunt quinque res, in quibus ultima domus exiit à prima di-
minuta.

LXX.

In libro insuper yoma sic dicitur, In sanctuario secundo non fuit
arca. Traditio enim est, quod ex quo abscissa est arca, abscissa est
cum ea urna mannae & lenticula olei unctionis & virga Aaron &
amygdalæ ejus & flores ejus, & capsella, quam miserunt Philistæi
munus DEO Israël, sicut dictum est 1. Reg. 6. & omnia vasa, quæ
reddidistis ei pro delicto, ponite in capsella ad latus ejus. Hæc
omnia Galatinus ex Thalmudicis habet loco jam dicto, quæ et-
iam reperit lib. 4. cap. 17.

LXXI.

Ex his proprijs Judæorum Rabbiorum verbis pro sententia
huc usque tantum ex sacris literis defensatâ firmissime in hunc argumen-
tamur modum:

Si secundum istorum Rabbiorum opinionem in secundo
templo defuit ignis, comburens sacrificia, tum utiq; in primo tem-
plo sacrificia non potuerunt comburi igne alio, nisi cælesti huc
usque descripto,

Sed prius

Ergo & posterius.

Connexi firmario firmissima est hæc: quia in secundo tem-
plo non potuit deesse ignis, qui ex silicibus & chalybe excuritur,
aut ex foco aut fornace affertur. Si enim vulgatum ignem sacrifi-
cijs comburendis afferre licitum fuisset, utiq; frustra hanc quere-

Q 3

lana

Iam Rabbini isti instruiscent. Verum enim verò utrum omnino in secundo templo ignis seu altaris seu sacrificialis defuerit, infra problemate alio videbimus.

LXXII.

Ad Ethnicos Porro non libet attingere multiplicem abusum ab homini-
pervenit fa- bus, quo ad hosce ignes altarium commissum, id quod singularem
ma de igne & bene prolixam pariturum esset disputationem seu orationem.
coelesti, unde

LXXIII.

eum pro nu- Sicut enim Pontificij hodie extra usum divinitus mandatum
mine hone- colunt supersticiosa impietate panem, sicut multi aquam baptismo
stante. adhibitam superstitionibus plurimis adhibent malignis, immò
quoque sicut verba Evangelij Johannis ad versus morbos collis ho-
minum alligant, aut alijs modis venefici & veneficæ perverse u-
surpant; ita olim ignem, quia caelitus datum noverant, varijs profa-
nationibus honorarunt. Et sunt qui ex eodem fonte tandem ad
militiæ coelestis seu siderum cultum impios ascendisse existi-
ment, nosq; de utroq; ad historias Aegyptias, Chaldaicas, Persi-
cas, Græcas, Romanas &c. ablegent.

LXXIV.

Reges enim potentissimi ipsi leguntur ignem adorasse, tan-
quam numen, aræ argenteæ impositum, quæ ab equo candido pre-
tiosissime exornato ante ipsos reges in publicis processionibus ge-
statur, sicut Deum Maozim in equo comitari in festo corporis
Christi scribitur ab aliquibus nostris Pontifex Romanus, id quod
Vitus Miletus Gamundianus in libro de mille sexcentis erroribus Sacrament:
ipsimet sic vocato emollit, seq; ipsum Pontificem nudato capite, nu-
disq; pedibus Sacramentum aliquoties gestantem vidisse thesi
741. contendit.

LXXV.

In bellis quoque cum movenda fuere castra, simul ignem sa-
crum prætulerunt, sequentibus magis & alijs aliquot exercitijs
maximis. Nihil dicam de auri & argenti thesauris in hanc rem
erogatis, nihil de virginibus vestalibus sacri ignis custodibus, &
de alijs infinitis. Sed abrupto materiam istam.

LXXVI.

Duravit ista consuetudo adhuc tempore Cyrilli circa annū
incarnationis Domini nostri IESU Christi circiter 415. ut ex 7.
libro

Libro cap. 7. & 8. Ecclesiastica historia à Socrate conscripta conspicimus. Cum enim tunc temporis Maruthas Mesopotamiae Episcopus ab Imperatore Romano ad Regem Persarum missus esset, & ab ipso tum propter alia, tum propter felicitatem in curandis morbis ad omnis generis summos honores eveheretur, MAGI ex invidia de insidijs ipsi struendis, & de ipso removendo consilium ceperunt. Hominem n. quendam in illo loco, in quo sacer ignis adorabatur, sub terram abscondiderunt tanquam esset DEUS, qui clamaret ex igne, regem periturum nisi Marutham Episcopum Christianum eijceret. Itaq; Maruthas regi has insidias & locum sub igne sacro detexit, & ostendit, non ignem sed hominem impostorem sub ignis voce delitescentem loqui. Cumq; hominem in ipso facto & simul dolum deprehenderet, magos admodum suspectos deinceps habere solitus fuit. Sed de his nunc non plura.

LXXVII.

Ceterum postquam breviter ex sacris literis probavimus, inde ab initio post lapsum usq; ad Christum exaltatum non potuisse sancta patrum sacrificia alio igne comburi, quam igne caelesti, commendus est legentium animis scrupulus aliquis. Siquidem 1. videntur etiam Ethnici sua sacrificia igne miraculose immisso consumpsisse, & 2. videtur ignis caelestis citra difficultatem quovis tempore colligi & usurpari posse, adeo ut exigua esse putanda sit commendatio, quae ad sacrificia divina magnificanda ex igne caelesti illo petitur.

Objectio.

LXXVIII.

Primum igitur ex Solini cap. 12. allegant eruditi haec sequentia verba: Nec longè inde collis est Vulcanius, in quo qui divina rei operantur, ligna vitrea super aras struunt, nec ignis apponitur in hanc congeriem, cum porricias intulerint. Si adest Deus sic sacrum probatur: Sarcmenta licet viridia ignem spontè concipiunt, & nullo inflante ante à litato numine fit incendium. Ibi epulantibus alludit flamma, quae flexuosis excessibus vagabunda, quem contigerit, non adurit, nec aliud est, quam imago nuncia perfecti ritè voti. *Hec ille.*

LXXIX.

Deinde notissimum est, quod Archimedes urentibus speculis *Archimedes* hostium triremes incenderit, referente quoq; Lemnio lib. 2. c. 33. de occultis naturae miraculis. 30. Ve-

Solini.

30. Ve-

LXXX.

Resp.

Verum enimverò cœsi Satanas quandoq; inter gentiles Iusum istum Iusit, subministrato igne vagabundo, tamen illud non potuit liberrimè, quoties voluit, præstare, quemadmodum testatur historia Baalitarum de hac ipsa materia ex professo cum Propheta Elia certantium. Debuisse enim tunc, si potuisset Satanas, instantis comitijs publicè suam tueri, si quam haberet, auctoritatem. Sed quemadmodum in responsis Delphicis ad interrogata quandoq; obmutuit: Ita quoq; tempore Baalitarum prodere necesse habuit suam fraudem & iniquitatem, cum summa impotentia conjunctam.

LXXXI.

Quia etiam ex κακοζηλία Satânica ista cernitur, idè Satanam tali igne Iusisse, ne auditores ipsius ab ipso deficerent. Utiq; enim in mundo non potuit omnibus hominibus non constare, sacrificia patrum divino igne accendi. Ne igitur Diabolica ista Ethnica sacrificia vilescerent, sed æque ac patrum sacrificia valere coram Deo putarentur, eisdem eandem dignitatem conciliare, annisus fuit Satanas his suis illusionibus, quas *INTERDUM* potuit, non *SEMPER*, exhibere.

LXXXII.

De speculis urentibus non abnuerimus quod per ista Solis radij colligantur, collecti refrangantur in materiam objectam & hoc pacto urant & incendant. Apud Zonaram & Sigebertum in Chronicis Balnicus architectus ab Heliopoli Syriæ ad Romanos confugit. ignemq; marinum simili modo adinuenit, quo usi Romani naves Saracenorum exusserunt. At ignis sacrificialis seu cœlestis citra omnem speculorum adhibitum usum, citra omnia alia media, divino solo motu fuit demissus super carnes crudas & humidas, & quidem ut lamberet etiam cinerem & aquam, sicut factum fuit in historia sacrificij Elia, id quod de igne Archimedis vel aliorum dici nequit.

LXXXIII.

Et hæcenus satis delibatum est, quod sacrificia divinitus præcepta inde ab initio post lapsum tantummodo fuerint combusta igne divinitus de cœlis demisso vel à Jehova egresso, quem successores juxta divinum mandatum subindè foverunt, quemq; *DEUS* interdum novum misit ad holce suos ritus toti generi humano plusq; magisq; confirmandos.

2. Cur

2. CUR DEUS NON NISI IGNE, CÆ-
lesti sic dicto, sacrificia comburi voluerit?

LXXXIV.

Sine dubio hac ipsa ratione etiam indicare voluit divina sapi-
entia, Messiam pro genere humano passurum, & passione sua
satisfactorum, *in calamitates & crucem pervenire debere, non ex Sata Ignis celestis*
nae solis machinamentis, nec ex hominum ipsis malitiosis consi- *in sacrificiis*
liis, adeoque passionem Christi non futuram occasionalem, sicut martyres passi *quid signi-*
sunt, ut ita loquamur, occasionaliter, propter liberam veritatis profesio- *ficavit.*
nem, id quod vult Socinus, sed principaliter, ex ipsissimo divino de-
creto, ex divina dispensatione, & à DEO ipso, & quidem igne fu-
roris sui ipsius deliberati assandum, & percutiendum Christum
fuisse, ab ira aeterni sui Patris liquefaciendum, adeoque passionem Chri-
sti futuram unius solius principalis intentionis divinæ, ad finem
sacrificiis intentum, ut hoc pacto & merito, merito inquam passi-
onis istius pacaretur divina justitia, per Christum, quam ad iram
provocaverunt totius generis humani primi parentes.

LXXXV.

Potius, vice versâ, occasionale omne fuit, quod erga Chri-
stum tentavit Satanas, tum per se, tum per Judæorum pravitatem
ex Dei indulgentiâ, siquidem potuisset, ut hoc quoque tangamus,
aeternus DEUS hoc suum decretum de Filio suo pro peccatis to-
tius generis humani pro sua inexhausta sapientia variis & infini-
tis modis aliis perficere & in effectum deducere.

LXXXVI.

An enim non potuisset DEUS Christum ira interficere, sic-
uti quotidie ex hominibus multos interficit, siquidem *omnis mors*
cujusq; hominis, est, interfectio vel mactatio ipsius, quæ sit à DEO. An non *Nō necessitas*
in singularibus frequentissimis solennissimisque Comitibus qui- *te aliqua Deo*
busdam ita Christum necare potuisset, sanguinis procurato maxi- *usus fuit ope*
mo profluvio, vel aliis intermissis grandibus symptomatis, talem *râ Iudæo-*
mortem deplorante & extremè dolente toto populo Israelis, quæ- *rum in in-*
admodum interfecit vel mactavit vel mori fecit Moysen ascen- *terficiendo*
dentem in montem, ut moreretur, tota spectavit turba numero- *Christo.*
sissimorum filiorum Israelis, cum fletu & dolore. Annon feris in-
deser-

D

deser-

deserto Matth. 4. Marc. 1. Luc. 4. in tentatione quadraginta die-
rum & noctium dilaniandum committere eundem potuisset Pa-
ter æternus? annon hujus rei ministros assumere potuisset Dia-
bolos, quorum desiderium postea semper fuit necare Messiam.

LXXXVII.

Pii & eruditi ipsi in piis & sobriis meditationibus modos
invenient plurimos alios, per quos mortem Filij sui Pater æter-
nus procurare potuisset. DEUS verò ipse multò infinites plu-
res alios potuisset excogitare & usurpare. Quæ omnia ad eum
dicuntur finem, ne quis vel per somnium cogitet, & scrupulum
sibi faciat ipsi, quasi DEUS necando Filium per operam Judæo-
rum, aliqua saltem ratione coactus fuerit approbare hoc pecca-
tum Judæorum, ut ex hac malitia Judæorum procuraretur salus
toti generi humano.

LXXXVIII.

Object. cum
Resp.

Sed, inquires, ulus tamen fuit DEUS operâ malitiæ Judai-
cæ ad interficiendum Filium suum. Fatemur, sed fecit illud ex
mera libertate. Cum enim prævideret, Judæos illos in Messi-
am futuros malignantissimos, operam ipsorum pro fine suo opti-
mo voluit adhibere, interea malitiam ipsorum non exuscitans,
non irritans, non incendiens, non augens, non approbans vel ex
dimidia parte vel ex omni parte, quin potius ipsam acerrime per-
stringens, improbans, detestans, damnans & præsertim quod pœ-
nitentiam non agerent, severissime vindicans. Qua de re paulo
post plura.

LXXXIX.

Probatio
quod ignis
sacrificiorum
caelestis signi
ficaverit iram
caelestis Pa-
tris adver-
sus Christum
sustinentem
peccata ge-
neris huma-
ni.

Cæterum quod ignis sacrificialis iram DEI propriissime &
unicè denotarit: Hujus significationis vestigia haud obscura ap-
parent in epistola ad Hebr. 13, 11. 12. ex his verbis: *Quorum animalis-*
ficaverit iram sanguis infertur pro peccato in sacrarium per Pontificem, horum corpo-
caelestis Pa- ra EXVRVNTVR extra castra. Quapropter & Iesus, ut sanctificaret per
tris adver- proprium sanguinem populum, extra portam PASSVS EST. Hic
sus Christum enim, quia EXVSTIO SACRIFICIALIVM CARNIVM, igne
sustinentem non nisi divinitus immisso, peracta, exponitur de PASSIONE
peccata ge- CHRISTI facta extra portam, annon per consequentiam piam
neris huma- deduc-
ni.

deducitur, IGNE ipso sacrificiali denotatam fuisse IRAM seu potius VINDICANTEM justiciam æterni DEI, cujus furorem sustinuit pendens in cruce CHRISTVS.

XL.

Eadem vestigia latent in Danielis capite nono, ubi in locum sacrificiorum igni consumi solitorum succedere debere dicitur passio Christi ad expiandam iniquitatem & justiciam seculorum adducendam. Ex hoc enim ipso facile colligitur, illud nimirum, sicut vetera sacrificia non proderant, nisi consumpta tali igne, quo volebat DEUS, ita nec aliqua passio toti generi humano salutem procurare poruit, nisi ea quam citra Satanæ & hominum consilium instituit in sua divina intentione, & suo divino modo æternus DEUS ipse. De hirco emissario quid respondendum, dicetur infra,

XLI.

Hanc in sententiam poterunt ex sanctis patribus colligi pro usu homeletico sententiæ non incongruæ: quibus adducendis nos hic in foro disputatorio constituti supersedebimus.

XLII.

Nec illud magnopere referre lubet, quod Augustinus tomo sexto libr. 22. contra Faustum Manichæum cap. 17. allegoriam alienam à principali scopo ignis sacrificialis (licet suo loco & tempore non prorsus rejiciendam) tangat, his verbis: Hic ego de vero sacrificio latius fortasse disserens, demonstrarem id non deberi, nisi uni vero DEO, quod ei unus verus sacerdos obtulit, mediator DEI & hominum, cujus sacrificii promissivas figuras in victimis animalium celebrari oportebat, propter commendationem futuræ carnis & sanguinis: per quam unam victimam fieret remissio peccatorum de carne & sanguine contractorum, quæ regnum DEI non possidebunt: quia eadem substantia corporis in caelestem commutabitur qualitatem: quod in ignis sacrificio significabat, velut absorbens mortem in victoriam. In eo autem populo hæc rite celebrata sunt, cujus in regnum & sacerdotum prophetia erat venturi regis & sacerdotis, ad regendos & consecrandos fideles in omnibus gentibus, & introducendos in regnum caelorum, & sacrarium angelorum ad vitam æternam. Hujus itaque veri sacrificii sicut religiosa præ-

prædicamenta Hebræi celebraverunt, ita sacrilega imitamenta
Pagani, quoniam quæ immolant gentes, ait Apostolus, dæmoniis
immolant, non D E O. Antiqua enim res est prænunciativa im-
molatio sanguinis, futuram passionem mediatoris ab initio ge-
neris humani testificans. Hæc ille.

XCI II.

Sed etsi hanc allegoriam suo loco bonam pronunciamus, ita
ad principalem allegoriam ignis cælestis seu principalem causam
usurpati ignis singularis in sacrificiis redeuntis dicimus hujus lo-
ci esse illud, quod Esaias vidit. Esaias cap. 53. 4. vidit Messiam (ali-
ter quam olim Jobus erat percussus) PERCVSSVM à DEO
& humiliatum, (ubi Galatius lib. 8. c. 8. 14. ex pietate fervente
PERCVSSVM DEVM reddere verba Esaiæ allaborat, quod non sit
scriptum מכה מאלהים Muche Meelohim, sed מכה אלהים
Muche Elohim) id est versu 6. vidit ita percussum quod Iehova con-
jecerat in Messiam omnes iniquitates omnium nostrum, & vers.
10. quod Iehova voluit eum (sustinentem omnia peccata nostrum)
conterere & agrotare fecit eum. Item versu eodem, quod posue-
rit (seipsum) sacrificium pro delicto anima ejus Christi ita pec-
catis onerati sicut hircus Levit. 16.

XCIV.

Hoc ipsum omne continetur strictius in primo Evangelio,
ubi DEI Patris consensu Filius seipsum offert *αὐτοῦ*, Gen. 3. 15. Se-
men mulieris conteret caput serpentis, & tu conteres calcaneum
ejus, pro quo vulgata, Semen mulieris conteret caput suum, & tu
insidiaberis calcaneo ejus. Et hinc nata sunt illa ipsa clariora Esa.
in capite jam allegato verba tum alia, tum vers. 7. Oppressus fuit
& afflictus, & non aperuit os suum (pro quibus vulgata latina
paulo aliter loquitur, Oblatus est quia ipse voluit) oppressus vide-
licet fuit, quando non occasionaliter incidit in duros auditores,
sed quando per Patrem suum fuit oneratus nostris peccatis, & sub
hoc onere afflictus, id quod omnem occasionalem passionem
funditus delet.

XCV.

Omnium igitur sensus est alius nullus quam iste, quod Chri-
stus in Paradiso seipsum obtulerit sacrificium in plenitudine tem-
poris pro lapsa genere humano, quod Diabolus in Christum ni-
hil juris usurpare potuisset, nisi sponte in sese derivasset poenas

*Versio anti-
qua Esa. 53.
aliena à
fontibus.*

toti generi humano luendas, quod æternus DEUS hanc Fili, Dei spontaneam satisfactionis plenæ pro toto genere humano faciendæ promissionem acceperit, ideoque Filium ipse peccatis totius generis humani oneraverit, & Filium portantem peccata totius mundi percussit, humiliaverit, contriverit, ægrotare fecerit. Ecce hujus doctrinæ typum voluit inde ab initio post lapsum usque ad exaltatum Christum in sacrificiis esse *IGNEM*, quo comburebantur quotidie sacrificia, non *Ἀγκυρῶν* seu ab hominibus communi naturæ consuetudine excitatum qualis potuisset occasionali passioni aliquod parare fulcrum, sed *IGNEM* tantummodò ex cælis super sacrificia demissum.

XCVI.

Sicut igitur DEUS Filium suum spontè constituit Regem & Prophetam, Deut. 18, 15. Psal. 2, 6. & 45. & 110, 5. Jerem. 23, 5. Ezech. 34, 23. Ita quoque sacerdotem, cujus est sacrificare. Psal. 40, 10. 5.

XCVII.

Cæterum scriptura novi Testamenti hanc veterem Prophetarum de Christi merè spontaneâ passione & morte, deq; Patre peccatis onerante totius generis humani Filium, sententiam repetit & inculcat quàm diligentissimè, Hebr. 1, 14. Quantò magis sanguis Christi qui per spiritum æternum *semetipsum* obrulit DEO immaculatum. Item 10, 5. 6. 7. Ephes. 5, 2. Tradidit *semetipsum* pro nobis oblationem & hostiam DEO in odorem suavitatis, Gal. 2, 20. qui tradidit *semetipsum* pro me, 1. Tim. 2, 6. qui dedit redemptionem *semetipsum* pro omnibus, Tit. 2, 14. qui dedit *semetipsum* pro nobis.

XCIIIX.

Ingrediens mundum *dicit*, Hebr. 10, 5. Sacrificium & oblationem noluit, Corpus autem aprasti mihi, Holocaustomata & hostiam pro peccato non comprobasti, Tunc dixi (ex Psal. 40. intellige lector) Ecce adsum, (in capite libri scriptum est de me) *UT FACIAM DEVS VOLUNTATEM TVAM*. Cum superius dixisset, Sacrificium & oblationem & holocaustomata & hostiam pro peccato noluit, neque comprobasti (quæ juxta legem offeruntur.) Tunc dixit, Ecce adsum, ut faciam *DEVS VOLUNTATEM TVAM*. Tollit prius ut posterius statuat. Per quam *VOLUNTATEM* sanctificati sumus, per oblationem corporis *IESV CHRISTI* semel factam.

*Voluntas
DEI fuit ut
pateretur
Christus pro
nobis.*

D 3

99. Huc

Huc pertinent illa quoque Rom. 3, 25. Quem proposuit DEVS placamen per fidem in sanguine suo, ad ostensionem justitiæ suæ per remissionem præcedentium peccatorum, 2, Cor. 5, 18. 19. DEVS reconciliavit nos sibi per Jesum CHRISTVM, item DEVS erat in Christo mundum reconcilians sibi, Hebr. 5, 5. Sic & Christus non hunc honorem sibi tribuit, ut fieret Pontifex, sed is qui dixerat ei, Filius meus es tu, ego hodiè genui te, sicut & alibi dicit, Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedeck, Matth. 20, 28. Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis, 1. Cor. 1, 30. Christus Jesus factus est nobis sapientia à DEO, justitiæque & sanctificatio & redemptio, Johan. 3, 17. Sic DEUS dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Et non misit DEUS Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum, Act. 13, v. 23. Hunc DEUS ex semine David secundum promissionem eduxit Israel Salvatorem Jesum, Joh. 4, 34. Dicit eis Jesus, Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus, Rom. 8, 3. Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, DEVS filium suum mittens in similitudinem carnis, peccati & de peccato damnavit peccatum in carne, & 15, 8. Dico enim Christum Jesum, ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem DEI ad confirmandas promissiones Patrum, 1. Johan. 4, 9. In hoc apparuit charitas DEI in nobis, quoniam misit DEVS filium suum unigenitum in mundum, non quasi nos dilexerimus eum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.

G.

Ecce pie lector, DEUS misit Filium, dedit Filium, & Filius facit voluntatem patris, obtulit semetipsum pro nobis, nimirum, quia in paradiso in se receperat Filius pœnas pro peccatis mundi, & juxta Esaiam DEUS omnia peccata nostra coniecit in eum, & voluit nunc contere eum. Ecce talem voluntatem fecit, & ita obtulit se, non verò occasionaliter incidit in persecutiones, sicut Paulus, Petrus & alii Apostoli occasionaliter, etsi non citra Dei prævisionem & decretum in calamitatē inciderūt,

121. Atq;

CI.

Atque ut ex externa re ipsa quoque cunctis simplicibus constaret, DEUM ad singulare opus sponte mittere proprium Filium, Iccircò singularibus miraculis eundem introducit in orbem terrarum, Facit enim ut concipiatur ex Spiritu Sancto, & nascatur ex virgine præter omnium rerum seriem, ut adhuc in cunis quidem quasi mendicantium parentum egentissimus filiolus jacens, nihilominus steliula deducente Magos ab his ipsis magis adoretur, & ut suam tam divinitatem quam simul divinam missionem operibus protestatam præbeat, miraculis antea inauditis, ut etiam infinitis, sicut Johannes Evangelista & Apostolus his verbis Evangelium suum concludit & inquit: *Sunt & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur sigillatim, ut ne mundum quidem ipsum capturum eos, qui scriberentur libros arbitrer.* Ceterum, quod olim etiam in hac ipsa sententia fuerint veteres Hebræi de voluntaria Christi passione & de DEO Patre Christum tradente in mortem, lege optime Lector Galatinum lib. 8. cap. 11. de arcanis Catholicæ Religionis.

CII.

Præter hæc insuper expendantur exactissimè tres loci qui extant Actor. 2, 23. Actor. 4, 27, 28. & Actor. 13, 27, *Quomodo* *Judæi in* *Actis* *Apostolicis* *dican-* *tur in Chri-* *sti crucifixi-* *one perficere* *ea quæ De-* *us fieri de-* *reverat*
 bet in hunc modum. Hunc (JESUM) definito consilio & præscientia DEI traditum, per manus iniquorum affligentes, interemistis. *Alter:* Convenerunt in civitate ista adversus sanctum puerum tuum IESUM, Herodes & Pilatus cum gentibus & populis Israel, Facere quæ manus tua & consilium tuum decreverunt fieri. *Postremus:* Ignorantes & voces Prophetarum, quæ per omne Sabbathum leguntur, judicantes impleverunt, & nullam causam mortis invenientes in eo, petierunt à Pilato, ut interficerent eum, Cumque consummassent omnia, quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento.

CIII.

Verba Græca loci primi sunt: Τῶτον (In C̄v) τῆ ὀρισμένη βελῆ καὶ ἀπογνώσει τῶ θεῷ ἐκδοτῶ λαβόντες αἰελετε, Hunc (datū definito cōsilio &

& præscientia DEI) accipientes affigistis. Vbi aliud utiq; est. 1. Jesum definito consilio DEI accipientes interemistis, 2. Jesum definito consilio DATVM accipientes interemistis, Illud idem esset ac si Judæi à DEO aliis mediis destituto ad hoc officium crucifixionis peragendum necessitate quadam DEO ipsi oblata singulariter fuissent electi, & hoc respectu in crucifigenda carne Christi necessario inserviissent. Hoc verò illud sibi vult, quod licet DEVS Christum definito consilio & præscientia dederit ad finem certum, tamen Judæi mandatum ad hoc aut impulsu DEI nullum habentes alia de causa propria malitia scævientes, ipsum crucifixerunt.

CIV.

Non enim potest vocabulum (ἐνδοτον, datum) referri & conjungi cum sequentibus λαβόντες ἀνέλετε, id est, non potest τὸ TRADI de Judæis exponi, hoc sensu, Vos Judæi accipientes tradidistis manibus vestris Pilato & interemistis Christum, sicut aliàs quod quis per alios facit, ipse fecisse judicatur.

Vidit hoc Beza ipse super novum Testamentum. Ut tamen suæ hypothese de absoluto decreto fulcimentum ex hoc loco fabricare queat, ex Græcis scholiis distinctionem seu comma jubet collocare post τὸ λαβόντες, ut fiat sensus, Jesum vos definito consilio DEI traditum accipientes, Verùm enim verò quàm fuerint variis vicibus per tot secula obnoxii accentus cum distinctionibus in Græcis Codicibus nemo non intelligit. Aufferantur ex hoc versu omnes accentus, omnia commata & cola & puncta, tum juxta antecedentium & consequentium regulam invictam & infallibilem, tamen non nisi sensus jam indigitatus emergere poterit.

CV.

Si hanc Petri mentem judicassent Judæi, quod DEI definito consilio electi fuissent, Ipsi illi ad procurandum tantum opus redemptionis generis humani, utique de præclara opera navata sibi cum magno gaudio gratulari potuissent, utique tantum dolorem ex exaggerata tanta malitia concipere nõ debuissent, utiq; tanta poenitentia ipsis opus non fuisset, ut consequerentur REMISSIONEM PECCATORVM, & si fuit crucifixio Christi respectu Judæorum crucifigentium magnum peccatum, quo pacto DEVM à culpa peccati liberabunt, qui sentient, DEVM non elegisse vel habuisse aliud medium, nisi ut per Judæos juberet crucifigi Christum.

106. Ver-

CVI.

Verſio Syriaca τὸ TRADERE cum manibus impiorum quidem conjungit, interim tamen in præcedente membro aliud ſubſtituit, ut abſurdiffimum abſurdum de abſoluta DEI voluntate evitet, cum in hunc modum reddit, & exponit, *Hunc qui ſelectus erat Selectus ad ſibi ad hoc, ex præſcientia & voluntate DEI, tradidiſtis in manus impiorum hoc, nimirum & crucifixiſtis & occidiſtis.* Et prudenter Lutherus noſter tan. *verſu præcedente reddidit Ergeben, non ut Rom, 4, 25. dahin geben: illic de offendente per ſicio generaliter, hic de paſſione Chriſti ſpecialiter loquens. quem tanta*

CVII.

Itaque licet τὸ Datum vel traditum intelligat de Morte, tamen *ad huc nihil pro Beza ſequitur. Sensus enim manet iſte, Licet DEUS Chriſtum definito conſilio tradiderit, & mediis aliis ad paſſionem ipſius procurandam non deſtiturus fuerit, quod tamen eum Judæis alia ex cauſa & viis crucifigendum conceſſerit, adeoque ipſorum malitia ad optimum finem non ex neceſſitate, ſed ex occasionali libertate uſus fuerit.*

CIX.

Et hoc ipſum in ſeſe continent ſecundi loci verba græca hæc: *συνήχθησαν ἡρώδης καὶ πιλάτου σὺν ἔθνεσιν καὶ λαοῖς ἰσραὴλ, ποιῆσαι ὅσα ἡ χεὶρ σου καὶ ἡ βυβλὴ σου προώρῃσεν γενέσθαι.* Primum audi lector quid hic dicatur. Utiq; enim aliud eſt, quod DEUS ex conſilio & manu ſua prædefinivit de Chriſto, aliud quod Judæi faciunt. Deinde ipſe lector concedes, quod nequaquam opus & neceſſe habuit DEUS uti operâ Judæorum malicioſorum, etiam ſi prædefinivit paſſionem Chriſti, utpote quam infinitis multis alijs modis expeditam procurare potuiſſet, etiam tunc, ſi Judæi Chriſtum plus amaſſent & defendiſſent, quàm oculos ſuorum corporum proprios. Deniq; agnoſcas, quia Judæi laborant ſceleratis malitijs quod faciant jam ea, (ex Dei indultu,) quæ DEI conſilium (modis humano ingenio incognitis infinitis alijs) potuiſſet procurare.

CIX.

Tertij loci verba Græca: *οἱ κατοικοῦντες ἐν Ἱερουσαλὴμ, τῶν ἀγνοήσαντες, καὶ τὰς φωνὰς τῶν προφητῶν τὰς κατὰ πάντας βιβλαίους ἀναγινωσκομένας, κείνοντες ἐπλήρωσαν, καὶ μηδεμίαν αἰτίαν*



αἰτίαν θανάτου εὐρόντες ἠτήσαντο Πιλάτον ἀναρεθῆναι αὐτὸν, ὡς
δὲ ἐτέλεσαν ἅπαντα τὰ περὶ αὐτοῦ γεγραμμένα, καθελόντες δὲ τὸ
τῶν ἑσῶν εἶηκεν εἰς μνημεῖον (*Inhabitatores in Ierusalem ignorantes
Christum & judicantes voces Prophetarum impleverunt, & cum finivissent
omnia quae de ipso scripta fuerant, posuerunt eum in sepulchro.*) iterum
non alium continere possunt sensum, nisi quem modò in secundo
loco vidimus.

CX.

Nimirum in Scripturis multa fuerunt de passione & de
morte Christi praenunciata, & haec finierunt seu compleverunt
Judaei: utiq; non quod DEUS necesse habuerit uti opera mali-
tia Judaica, sed quia ipsorum saevitiam liberè in Christo tumultu-
uari concessit.

CXI.

Etsi verò ea, quae huc usq; de his tribus locis exposuimus,
hac ratione non tangunt Socinum, quasi cum Beza statueret Soci-
nus fatale aliquod & absolutum decretum, tamen ex altera parte
demonstrant, DEI singulari consilio Christum fuisse morti de-
stinatum, nec occasionaliter incidisse in istas calamitates, & qui-
dem tali consilio, ut portaret peccata nostra, quae mors tantum
distat à morte occasionali, quantum caelum à terra, immò fini-
tum ab infinito distare quàm longissimè vix potest.

CXII.

Postquam haecenus tum in praecedentibus disputationibus
tum in hac quoq; disputatione vidimus doctrinae nostrae salutife-
rae fundamentalem veritatem, nunc non fuerit nullius operae pre-
cium expendere, quibusnam machinamentis *Faustus Socinus Senensis,*
Italus, recentiorum Antitrinitariorum summus Coryphaeus, satis-
factionem & meritum Domini nostri Jesu Christi oppugnare ag-
grediatur, in libro suo de *Servatore*, qui liber est iste, quem Antitrini-
tarij *Invicium* proclamant passim per annos plurimos.

CXIII.

Socini obje-
ctio quasi
nulla justitia
divina pro-
peccatis ge-
neris huma-
ni fuerit sa-
tis faciendū.
posterior.

In libro igitur de *Servatore*, parte prima hunc Achillem sic
ut ipse existimat, nobis objicit Socinus: *Si in DEO non est essentia-*
divinae pro-
lis quaedam justitia, nec essentialis quaedam misericordia, quarum illius pro-
prium esset quodvis peccatum punire, hujus verò peccata remittere, tum etiam
ad servandum temperamentum justitiae & misericordiae opus non fuit, ut Chri-
sti fuerit sa-
stus satisfacere pro peccatis justitiae divinae,
Sed prius. Ergò &
pro

Pro illustratione connexi afferunt 1. quod si iustitia & misericordia aliqua essentialis DEO naturâ inessent, adversus ea DEUS nihil quicquam facere posset. 2. Sic enim secundum alteram omnia punire, secundum alteram omnia remittere necessum haberet, esset sibi contrarius futurus. 3. Quod Scriptura non iustitiam sed iram, furorem & vindictam DEI vocet saltem, quæ misericordiam sit opposita, & utramq; constituat saltem effectus voluntatis divinæ.

CXIV.

Et si igitur, inquit, DEUS super peccata totius generis humani, mortis sententiam, concepit, tamen non fecit id ex naturali sua iustitia, quæ dicitur potius rectitudo vel æquitas quàm iustitia in sacris, sed ex liberrima sua voluntate, & similiter erga idem genus humanum potuit liberrimè uti ex voluntatis suæ arbitrii misericordia citra omnem satisfactionis alicujus intervenientem operam, dummodò genus humanum respiceret. Hac igitur ratione ex Socini sententia justificatur homo per misericordiam Dei ex mero & ex solo beneplacito voluntatis divinæ, peccata penitentibus & resipiscentibus non imputantis sed remittentis, Misericordia autem ut vides lector, intelligitur extra meritum & satisfactionem Christi, fundata in sola voluntate Dei liberrima, sicut homo creditor homini debitori ex sola misericordia & gratia dimittit debita.

CXV.

Ad hoc argumentum ante omnia opus est solidâ responsione & pro *quod* solidæ responsionis quædam sunt præmittenda. Et quidem hic optandum & exoptandum & peroptandum esset, si haberemus de divina essentia pleniores revelationes. *Sacra Scriptura de intentione* Cum autem nullas prorsus habeamus pleniores de eadem revelationes, contentos nos esse decet pauculis quasi umbris quæ extant *quiditate essen-* in sacris literis.

CXVI.

Hinc sunt illæ Patrum piæ dissertationes de DEO: Totus *tie divine* DEUS a nobis in hac vita cognosci nequit, inquit Nazianzenus prorsus *ta-* oratione secunda de Theologia. *Audiantur verba* Elie Cretensis *su-* per 7. Orat. Nazianzeni de pace hæc: Divina natura & essentia prorsus cognosci nequit, aut verbis exprimi aut nominari. Quapropter existimandum est, quicquid de DEO dicatur, non significare,

Iustitia & bonitas Dei quid in Deo secundum Eliam Cre- nsem. quid ille sua sit essentia, sed vel quid non sit denotare, vel aliquid eorum, quæ naturam ejus comitantur, vel deniq; ipsius effectio- nem quandam. Et paulò post: Boni justiq; appellationes quum Deo tribuuntur, earum de numero sunt, quæ DEI naturam comitan- tur, non quid natura sua sit, explicant. Hæc ibi prorsus sub finem orationis. Alibi dicit: DEUM neminem unquam aspexisse, nec etiam cœlestes copias, item, ideò DEUM perfectè nec ab Ange- lis cognosci, Item, DEUM sub cognitionem non cadere, ideoque de DEO non sine timore loquendum. Item Oratione 1. de Filio Eli- as, idem: Quæcunq; de DEO affirmativè dicimus, non ipsam ejus naturam, sed quæ in natura ipsius sunt, indicant. Etiam si di- cas, eum esse bonum, justum, sapientem, & quidvis aliud, non DEI naturam dicis, sed quæ sunt in ipsius essentiâ.

CXVII.

Audiat iterum de diversis proprietatibus DEI: Igi- tur Oratione 2. de Theologia: In Dei natura dissidium nullum statu- endum est, ne interitus in eum cadere dicatur, neq; item pugna- ne dissidium in ea statuamus, non compositio, ne pugna sit locus. Audiatur etiam Augustinus cap. 6. de cognitione vera vite: DEUS spiri- tus, est essentia invisibilis, omni creaturæ incomprehensibilis, to- tam vitam, totam sapientiam, totam æternitatem simul essentiali- ter possidens, idem ipsa vita, ipsa sapientia, ipsa veritas, ipsa justi- tia, ipsa æternitas existens. Idem lib. 6. cap. 7. de Trin. DEUS mul- tipliciter dicitur magnus, bonus, sapiens, beatus, verus, & quic- quid aliud non indignè dici videtur. Sed eadem magnitudo ejus est quæ sapientia. Non enim mole magnus est, sed virtute. Et ea- dem bonitas quæ sapientia & magnitudo, & eadem veritas quæ illa omnia. Et non est ibi aliud beatum esse & aliud magnum aut sapientem, aut verum aut bonum esse, aut omninò ipsum esse.

CXIX.

Augustinus. Item super Psal. 118. Concione 28, mox ab initio: Sanè justiciam dicit testimonia DEI, justum quippè se probat mandando justi- tiam. Est enim hæc veritas, ut Deus talibus testimonijs innoce- scat. Ibidem Conc. 26. super verba: Feci judicium & justitiam, ne tradas me nocentibus me: Justitiæ nomine hoc loco non ipsa virtus, sed o- pus ejus significatum est. Et in libr. Meditationum: Magnus es sine quan

quantitate, & ideò immensus, bonus es sine qualitate & ideò ve-
rè & summè bonus & nemo bonus nisi tu solus, cujus voluntas
est opus, cujus velle posse est. *Et paulò ante:* Si totum mundum
libri repleant, tua scientia inenarrabilis explicari non potest, quan-
tum verè indicibilis es, nullo modo scribi potes, neq; concludi,
qui es fons lucis divinæ, & Sol charitatis æternæ.

CXIX.

Sed in hanc sententiam magno numero allegari poterant
aurea veterum dicta, quibus non assentimur propter auctoritatem
scribentium, ne Adversarij nobis dicam ex hoc capite scribere
aggrediantur, sed quia contrarium nequit esse verum, & quia Scri-
pturis hæc omnia sunt consentanea. Breviter rem omnem
in Compendium redigendo: 1. Sacræ literæ nobis nullo in lo-
co ipsam internam essentia divinæ spiritualis quidditatem pate-
faciunt. 2. Tantummodò describunt DEUM ex illis quæ sunt
in ipsa essentia, & cum de re totis cœlis discrepante à nostra essen-
tia deberent uti vocabulis etiam alijs, prorsus tamen coguntur se-
se demittere ad modulum nostrum, & de rebus prorsus alijs uti
vocibus humanarum rerum momenta exprimentibus.

CXX.

Etsi igitur homines suo modo, & Angeli sunt boni poten-
tes, immortales, tamen de DEO juxta modum jam indigitatum
ita loquuntur sacra oracula, Nemo bonus nisi solus DEUS,
Matth. 19, 17. Tu solus altissimus, Psal. 83, 17. qui facit mirabilia
solus, Psal. 72, 17. Solus potens ac Rex Regum, & dominus domi-
nantium, 1. Tim. 6, 14. qui solus habet immortalitatem, & lu-
cem inhabitat inaccessibilem, 1. Tim. 1, 17. DEUS fidelis & absq;
ulla iniquitate, justus & rectus Deut. 32, 4. Patrem nolite vobis
vocare super terram, unus est enim Pater vester qui in cœlis est,
Matth. 23, 9. Rectus est Dominus Deus noster, & non est iniqui-
tas in eo, Psalm. 92, 15. Non est sanctus ut est Dominus, 1. Sam. 2,
2. Solus sapiens, Rom. 16, 27. & 1. Tim. 1, 17. Solus novit corda fi-
liorum hominum, 1. Reg. 8, 39. 3. Aliud est ipsa essentia divina
& proprietas in essentia divina, aliud voluntas DEI, aliud verò
opus profectum & progressum ab essentia divina, & à proprietati-
bus in ipsa essentia divina per voluntatem DEI. Hæc utiq; omnia

alia sunt, quæ à nemine Ethnico, ne dum Christiani nominis
umbra quadam consperso negari possunt. 4. Sicut in Sole inter
lucem & calorē distinguere palpabiliter non possumus, nec calor
luci hostiliter contrariatur: Ita in DE I essentia nequaquā justitia
misericordiae ad modum rerū in creaturis contraria perhibebitur.
5. Sive vocetur justitia, sive rectitudo & æquitas, sive alio nomi-
ne, ita sive nominetur misericordia sive clementia, sive bonitas,
perinde est. Quid juvabit disputare de nominibus cum possimus
& cogamur convenire in ipsis rebus.

CXXI.

His igitur ita constitutis cadit totum Socini machinamen-
tum, quasi in DEO non sit essentialis justitia quæ peccata puniri
debere jubeat. Est enim 1. in DEO essentialis seu justitia, seu
si ita velis & contendas, rectitudo & æquitas, id quod jam modò
ex sacris literis est probatum. 2. à DEO, in quo est essentialis
justitia seu rectitudo & æquitas per voluntatem procedit opus,
propter quod appellatur judex justus Psalm, 7, 12. judicat orbem
terrarum in justitia & populum in æquitate, Psalm. 98, 10.

CXXII.

Prorsus igitur frivolum est, ut nihil gravius dicam quod
subjicit: Si esset proprietas in DEO essentialis, tum nunquam is ne mini-
mum delictum alicui sive poenitenti sive impoenitenti remitteret, alioquin fa-
ceret aliquid quod qualitatibus ipsius adversaretur. Eodem enim pacto
argumentari liceret, si Omnipotentia est DEI essentialis proprie-
tas, quod negare nemo audebit, tum non potuit à creando mun-
do cessare Dominus, sed necessario creavit hunc mundum, immò
etiam necessario plures mundos creare debuisset, aut in hoc mun-
do terram latiore creare, & in eadem plura animalia, in cælo
quoq; plures myriadas alias stellarum creare decuisset. Sic quoq;
ab orbe condito singulis momentis plura infinita miracula ubiq;
locorum edere teneretur. Sic deberet in omnium hominum a-
nimos & corpora majorem implantare rationem & fortitudinem
& quæ possunt plus plus quàm infinites infinita esse alia.

CXXIII.

Sic enim vult Socinus, ut iustitia DEI sit talis proprietas
 DEI essentialis, quæ opere quocunque humano vel angelico ob-
 lato (siquidem bonitas & iustitia in sacris nobis describuntur,
 præcipue circa distinctionem operum humanorum & angelico-
 rum) instar ignis naturalis non debeat non punire, non possit non
 exardescere &c. Quasi in essentia divina non etiam sit voluntas
 DEI omnia liberrimè expendens & dirigens. Psal. 135, 3. Omnia
 quæ VOLUIT, fecit. Ezech 18, 21. 22. 23. Impius si aversus fuerit
 ab omnibus peccatis suis quæ fecit, & custodierit omnia præcepta
 mea, feceritque iudicium & iustitiam, vivendo vivet, non morietur.
 Omnes prævaricationes ejus quas fecit, non commemora-
 buntur ei, propter iustitiam suam quam fecit, vivet, nunquid de-
 siderando desidero ut moriatur impius dixit Jehova,annon si aver-
 sus fuerit à vijs suis, vivet. & 32. Nolo mortem mortui:
 (morientis, id est, peccatoris) dicit Dominus, revertimini &
 & viveris. Ezechielis 33. 11. Vivo ego, dixit Dominus Jehova,
 si volo mortem impij, sed ut avertatur impius à via sua & vi-
 vat.

CXXIV.

Eodem pacto nequaquam iustitia DEI essentialis pugnat
 cum misericordia DEI essentiali, quia sæpè DEUS non VULT
 parcere, non vult orari à pijs pro impijs, ut ipsis parcat. Jerem.
 7, 16. Tu ergo ne ores pro populo isto, neque assumes pro eis clamo-
 rem & orationem, & ne depreceris me, quia non exaudiam te,
 Et 14. & 12. Ne ores pro populo isto in bonum, quum jejunaverint,
 ego non exaudiam clamorem eorum, & quum obtulerint ho-
 locaustum & oblationem, non acceptabo ea, quia gladio & fame
 & peste consumam eos. Et 15, 1. Jehova dixit, Si steterint Mose &
 Samuel coram me, non erit anima mea ad populum istum, versu 6.
 Fatigatus sum toties pœnitere. Ezech. 14, 14. 16. Si fuerint tres illi
 vivi, Noab, Daniel, Job in medio, neq; filios neq; filias liberabunt, ipsi
 soli liberabuntur, terra autem erit desolatio. Et 1. Johan. 5, 16. est
 peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roges.

Ecce

Ecce igitur forinsecus vel iustitiam vel misericordiam er-
ga peccatores exercet is, qui in essentia sua habet essentialem di-
vinam iustitiam & misericordiam pro omniscientia sua, pro con-
silio suo, pro sapientia sua, pro voluntate sua, pro libertate sua,
propter iustissimas, rectissimas & æquissimas causas suas, quas
ignoramus nos, qui sæpenumero non satis valeamus in
levibus humanis judicijs inquirere, æstimare &
dirigere tenues negotiorum & faci-
norum circumstantias,

FINIS.



Ecce



94 A 7382

ULB Halle

3

002 183 692




Sb.

VD 17

21,7.99 Bd.







32

DISPUTATIONUM THEO-
LOGICARUM
DE
SACRIFICIIS
SATISFACTIONIS CHRI-

STI PRO PECCATIS TOTIUS MUN-
DI PRÆSTITÆ, TYPIS CERTISSIMIS,
ET FIRMISSIMIS,
Adversus recentiores Arianos seu Photinianos Satisfactio-
nem CHRISTI omnem pernegantes

Q U I N T A,
Quod nullo alio igne, nisi cœlitus & divinitus immisso,
ulla unquam sacrificia divinitus instituta comburi debuerint.

Q U Æ
In Collegio Disputationum Theologicarum privato in Templo Arcis
d. 5. April. Anno 1715 cxxv. in incluta VVitteber-
gensium Academia habebitur.

PRÆSIDE
VVOLFGANGO FRANZIO, S. S.
Theologiæ Doctore & Profess. Publico;

RESPONDENTE
M. BALTHASARO FURMANO,
VVITTEBERGENSI.

VVitteberge, Typis Johannis Gormanni.

